



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita Venerabilis Yolanda Priorissae Ad Mariae Vallem in  
Ducatu Lucilburgensi**

**Wiltheim, Alexandre**

**Antuerpiae, 1674**

Cap. XVI. Sacellanus in Paschate Eucharistiam Yolanda porrigere  
detrectat. Ipsa in nuptijs fratris sui Friderici cum filia Comitis Salmensis, se  
ornare, & tripudiare cogitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11873**

## CAPVT XVI.

*Sacellanus in Paschate Eucharistiam Yolandæ  
porrigere detrectat. Ipsa in nuptijs fra-  
tris sui Friderici cum filiâ Comitis Sal-  
mensis, se ornare & tripudiare cogitur.*

**F**uit ut in Paschate [ anno MCCXLVII. ] Yo-  
landa peccata suæ Sacellano confiteretur. Se-  
cundùm confessionem rogat, ut fieri solet, dig-  
namne iudicet, quæ sacro epulo pascatur? Cui  
Sacellanus: At tu te ipsam tuamque conscientiam  
confuse. Immorigera parentum iussa excutis, eos-  
que tibi infensos tua fecit pervicacia, & sine  
crimine speres te Christi corpore pasci posse?  
Non arbitror ego, sanè; quanquam tui me miser-  
ret. Hic Yolanda: Quæso te, si quod est meum  
scelus, id doce resipiscere paratissimam. Rupisti,  
inquit ille, Dei legem, contumax obedire matri,  
& roges, quod sit tuum scelus? Agnosce, & fa-  
tete crimen: venerare matrem & cole, divinam-  
que legem infringere tandem aliquando desine.  
Illa: Divinas leges ut ego infringam? Omni ope  
enitar, profectò, ne unquam id faciam. Certum  
mihi, matrem, quantà observatione possum &  
honore, prosequi. Sed antè omnia, volo Deo  
vota solvere, meque ei tradere. Atqui id ipsum,  
ait ille, vult tuà quoque mater; concordibus ani-  
mis

mis id quidem agitis : tantum loci interest. Illa  
quippe tibi cœnobium nobile destinat , & predi-  
tum vitæ commodis : tu legisti locum miserum  
& despicabilem, indignum genere tuo & maio-  
ribus tuis. Cœnobia meo , inquit Yolanda , vo-  
to adstricta sum , nec fallam Deo voti fidem.  
Quanquam , si res foret integra , et si miserabilius  
atque egenum magis ullum usquam hic haberet  
orbis cœnobium , huc me convolaturam certò  
scirò ; adeò non terret egestas , non inopia , non  
ignobilitas , non contemptus , aut si quid horum  
est. Sacellanus ubi Yolandam ita animo affectam  
vidit : Non habeo , inquit , quod te ultrà horter  
atque moneam : cumque hoc dicto , sacro epulo  
non refectam dimisit , incredibiles profundentem  
lacrymas. Urebat animum antè cetera omnia,  
quod à divinâ mensâ reiectam atque repulsam se  
cerneret. Itaque lacrymis alijs alias propellenti-  
bus , velut quodam imbre templi solum perlue-  
bat , toto matutino tempore in eo mœrore atque  
luctu transacto , donec puella à cubiculis moræ  
eius impatiens supervenit , atque ita flentem repe-  
rit. Et quid est , inquit , quod te afflictas ? Nar-  
rat tum Yolanda , se à Sacellano increpitam , pro-  
hibitamque à sacrâ mensâ , quæ eo tempore  
Christianis omnibus pateat. At tu , subinfert  
puella , ne Sacellani causâ turbere. Parum ille res  
tuas assequitur , & immerito te à sancto epulo ar-  
cet. Tu accedere ne dubites meo periculo tuo-  
que merito , quo nos omnes , profectò , longè su-

G

peras,

peras, etiam ipsum adeò monitorem reprehensoremque tuum. His Yolanda metu atque sollicitudine liberata, Sanctissimo Christi corpore pasta est. Mox animo tantùm cælestium dulcedinum influxit, ut gaudij magnitudo omnem repente deleverit præteriorum malorum memoriam.

Haud multò post secutæ sunt nuptiæ [ Frederici ] Yolandæ fratribus. Sponsa ei allecta filia Comitis Salmenfis, [ Henrici, ut opinor: is enim hoc tempore Salmæ Comes erat, cuius matrem fuisse reor Elysam, quæ anno MCCXX. virginibus in inferiore Prumiâ ius patronatus vici Sigendorfij donavit, ut ex tabulis earum virginum comperi. Fuit porrò nobilissima Salmenfium Comitum prosapia, generisque auctorem habuit Giselbertum Comitem Luciliburgensem. Sedes eorum prima in Arduennâ, ubi hodieque vetustissima eius nominis arx. ] Ceterum Margarita, ut filij nuptias non modo celebres & magnificas, sed etiam hilares atque festivas efficeret, nihil non excogitavit. Inter ceteras curas Yolandam ita solam alloquitur. Scire peruelim, cara nata, quî hæc tibi probentur, quove cultu atque habitu ornata, velis harum nuptiarum festivos agitare dies? Negavit Yolanda festivos se posse dies ullos agere. Rogat illa, Cur, quæ alias, cum tibi libitum, hilaritate omnia implere noveras, nunc gaudere & lærari renuis? Vide, te amabo, quid agas, & ne non accipiendis festivè hilariterque amicis nostris, sis innoxia, quandò tu iucunditatis

tatis nostræ dux es & magistra. Tum Yolanda  
Nihil mihi lætum, nihil iucundum, nisi degere in  
meo cœnobio. Hic mater repente versa in rabiem,  
ad Yolandam furibunda procurrit, inclamans:  
Aut lætandum tibi est faciendumque quod rogo,  
aut moriendum, vel tibi vel mihi. Confestim,  
sortire, utrum mavelis, aut moriere. Yolanda  
intelligens præcipiti matris iræ dandum locum,  
placidè, Quandò, inquit, ita necesse est, mater,  
lætam me hilaremque, ut maximè potero, præ-  
bere conabor. Margarita, æque placari atque ira-  
sci facilis, Hoc si feceris, inquit, me in rebus om-  
nibus adiutricem atque auxiliatricem experiere.  
Residebat interim reconditus Yolandæ animo  
dolor. Sed dissimulavit, & ornari se in pronu-  
bam & ad omnem muliebrem elegantiam vestiri  
permisit. Multos subitus ille cultus fefellit, exi-  
stimantes, deseruisse Yolandam austerae vitæ con-  
silia.

Sub hæc Viennam sponsa adveniens, gaudij atq;  
lætitiae cuncta complevit. Yolanda inter primos  
occupans salutandi officium, processit obviam.  
Comiter salvere iubet, & omnia sua dicat obse-  
quia. Unicum rogat sibi dari, ut ne tripudian-  
dum sit sibi. Hoc inquit me adiuta, & de cætero  
pro ancillâ me sorore tuâ utere. Sponsa, quam  
splendor generis & magnifica indoles laetitiae &  
voluptatum amantiorem fecerat, Yolandæ ro-  
gata longè reiecit. Si tibi animus Sanctimonial-  
lém agere, inquit, si religionis metu teneris, ijs.

puellis te applica, quibus talium rerum amor.  
Me quidem, sanè, non delectat inertia, sed risus,  
ioci, cantus & choreæ. Quæ si tu respuis, unâ  
operâ sociam me respueris. Illiberalis sponsæ ora-  
tio Yolandam haud parum commovit; sed pres-  
sit dolorem; jamque prorumpentes lacrymas, ne  
observata reprehensionem incurreret, vi compes-  
cuit. Secuta ingens salutantium & promiscua  
gratulatio, in tantùm, ut neque à cantu non nul-  
li temperarent. In eâ omnium lœtitia alienus  
Yolandæ animus longè discordabat. Siquidem  
specie externâ simulatum mutuata gaudium, in-  
tus mœrebat. Post nuptiales epulas, profiliere  
omnes ad choreas, nullo neque sexus, neque æta-  
tis discrimine. Una se saltui subduxit Yolanda.  
Quod ubi animadversum, ægerrimè tulere, antè  
omnes pater & mater cum sponsis. Et sponsa  
quidem seorsum confidentem Yolandam adiens,  
Surge, inquit, te obsecro, & nobiscum tripudia. Si  
quod hâc in re crimen est, id meum esto. Quan-  
quam quid crimen voco, saltatione modicâ exhi-  
llerare parentes tuos nosque omnes? Cum hoc  
dicto Yolandam prehendit, & invitam tripudia-  
tum dedit. Choreæ modus pro eorum tempo-  
rum moribus hic erat. Anteibant symphoniaci  
duo, fidibus iucundè canentes. Sequebatur ordo  
tripudiantium, & in ijs Yolanda, incidentis spe-  
cie gradiens, nec subsiliens ad numeros, sed in-  
conditè, velut artis imperita. Sensere mox fi-  
dices, ex incomposito Yolandæ incessu turbari  
ad

ad modos attemperatè subsilentium æquales motus. Nec latuit affectari ab eâ saltandi imperitiam. Ergò mater vi minisque adigit, ut quando alieno ductu saltare nollet, ipsa choream duceret & præcineret. Reluctari Yolanda. Sed pardum fuit. Cantavit, verùm ineleganter & absque artificio, ut satis appareret, non respondere oricantentis animum. Et ne hæc quidem fuit diuturna fictio. Mox enim prorumpentes cum multo fletu lacrymæ, eam ab ulteriore cantu prohibuerunt. Hinc ex gaudio mixtum secutus mœror & indignatio. Alij miseratione Yolandæ contacti illacrymabantur. Alij detestabantur intempestivam perturbatricem lœtitiae. Alij quoque irridebant, ex incessu habituque corporis neglecto, saccum refertum appellantes. Et palam hæc iactabantur ita, ut audiret Yolanda. Ad summam, quæ alijs Viennense palatum, imò universam patriam hilaritate & gaudio replere solebat, ea nunc, ceu felle affuso, omnem corrumpebat lœtitiae gustum. Fuere tamen ex eo nuptiali conventu cordatores aliqui, qui perspectâ Yolandæ tantâ animi tristitiâ, matrem adeuntes, maximoperè orarent, ut filiæ se benignam atque clementem præberet. Et quandò cerneret tam invictam eius in Dei rebus constantiam, caveret neminem avertendo, noxam fortasse contraheret. Sed in irritum eæ interpositæ preces. Perfistere in imperijs Margarita: iubere, et si iussa parum valerent, cogere ad festivum elegantemque or-

ornatum, ad iocos, risum, cantum & saltum. Ita toto triduo per summam violentiam Yolanda fingere debuit, quod horrebat animus, mixto plerumque fletu & lacrymis. Tandem miserta eius aliquantum mater, pertesa etiam tot, quibus eam undique aggrediebatur, assaltuum, hoc dedit, ut à choreis libera esset, modò cultum in veste splendoremque suis natalibus dignum adhiberer.

## C A P U T X V I I .

*Parentes & amici pro Yolandâ apud matrem intercedunt. Hæc Conventum magnum indicit super rebus filiæ. Adeſt ad Conventum Waltherus Meisenburgius. Margarita subito à Deo tacta, & à Walthero monita, flectitur, & veniam à Deo & à filiâ petit, addicitq[ue] impostaum suam ei operam.*

**A**Derat interim nuptialium dierum terminus, iamque abitum adornabant hospites: cum eorum nonnulli, perspecto Yolandæ tanto rerum mortalis vitæ fastidio, matrem conveniunt, orantes, ut tandem filiæ desiderio obsecundet, sinatq[ue] ad Cœnobium suum pergere, & immerentem interminabili illo cruciatu vexare desinat. Margarita, mulier haud parum callida, differe,